



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

DE || LIBERTATE || CHRISTIANA ||

Lensaeus, Johannes

Antverpiae, 1590

Capvt V. Quid sit, in quo tertiam Christianæ libertatis partem Caluinus posuerit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46059](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46059)

afferre queat languorem studio virtutis apud homines etiam bene viuendi studiosos, quibusque sit cordi alacriter percurrere diuinorum mandatorum vias, quam si dicatur eis, quidquid tentent aut meditentur operis, id omne maledictum esse. facile quippe negligitur, quod nullius habeatur pretij: nec animari ad opus vllum potest, qui sciat, quidquid fecerit, mancum ac vitiosum esse futurum. Scribit Augustinus, Iouinianum quosdam sanctimoniales à proposito virginittatis abduxisse; non quòd eas ipse sollicitauerit, aut vxores habere voluerit; sed propterea quòd merita minuent sanctæ virginittatis, ea coniugio fidelium coæquarit. Quid ergo eiusdem Augustini iudicio fecisset Iouinianus, quantamq. morù perniciè inuexisset, si nò modò virginittatis, verum etiam virtutù cæterarù studia, pioſque conatus, maledicta esse docuisset? Nec vllus esse profectò potest ad proficiendum stimulus, cum cogites quantumcumque nitaris ac satages, non posse te emergere è vitiorum sordibus, nec supra lutum peccati caput attollere, nec quidquam afferre dignum Deo. Itaque huic sanè doctrinæ, morumque vulnere, quodcunque emplastrum adhibeât, nolle se dicentes à bonis virtutum officijs abducere, sed ad ea potiùs incitare; fluere tamen inde hanc corruptelæ sanem necesse est, per quam licentiùs securiùsque peccetur.

CAPVT V.

Quid sit, in quò tertiam Christiana libertatis partem Calvinus posuerit.

SED iam audiamus, quamnam idem Calvinus tertiam fecerit Christiana libertatis partem. [Tertiam, inquit, pars est, vt nulla rerum externarum, quæ per se sunt adiophoræ, religione coram Deo teneamur, quia eas nunc vsurpare, nunc omittere indifferenter liceat. Atque

Atque huius etiam, inquit, libertatis cognitio, perquam nobis necessaria est. Quæ si aberit, nulla conscientijs nostris futura est quies, nullus superstitionum finis. Quoque magis quid sibi velit, aperiat, adiungit: [Videmus hodie plerisque inepti, qui disceptationem mouemus de libero esu carnum, de libero feriarum vestiumque usu, & similibus, vt illis quidem videtur, frivolis nugis: sed plus istis inest momenti, quam vulgo credatur. Nam vbi semel se in laqueum coniecerint conscientia, longum & inextricabilem labyrinthum ingrediuntur, vnde non facilis postea exitus patet.] Hæc Calvinus. Vbi quantum aberret à scopo veræ libertatis, breuiter ostendemus.

CAPVT VI.

Quantum aberrarit Calvinus in tertia libertatis parte constituenda, breuiter ostenditur.

PRINCIPIO autem animaduertere oportet, libertatem Christianam in hac quidem mortali vita propriè esse à peccato; non ab eo quod, quia graue sit & asperum, molestiam aliquam affert. alioqui nec pater filijs, nec dominus seruis poterit quidquã quod molestum sit præscribere, ne libertatem minuat Christianã. Quocirca etsi ea forent adiaphora per sese quæ præcipiuntur, nec sine onere queant obseruari, nõ ideo libertati Christianæ cõsenda sunt officere. Quid enim? si pater filio, aut dominus seruo, certas in singulos dies præscribat vel fossionum vel baiulationum operas, idcõne libertatem euertet Christianam? Et tamè præterquã quod labor ipse per seipsum durus est, adstringi certè & addictum esse oportere, haud quaquam seruili molestia caret. Quod si res eiusmodi ex suo genere libera, id est, quæ, seposito superiorum iussu, æquè & fieri possunt & omitti: tamen propter aliquas tem-